

## AD GYBERTVM

Teque adeo egregiis clarum fer ad æthera factis.  
 Interea solis agitans in montibus æuum  
 Infelix ægrum Musis solabor amorem,  
 Si te absente tamen uerient ad carmina Musæ,  
 Nec mihi longe abiit tecum irreuocatus Apollo.  
 Nempe canam semper Medycum facta ampla tuorum  
 Præclaræ decora alta domus qua sospite nunquam  
 Italiam amissam, libertatemque fatebor,  
 Fata licet semper ceptis ingentibus obstent,  
 Atque ideo Leo mortales modo liquerit auras  
 Ereptus mediis (sic dii uoluere) triumphis.  
 Inuidit libertatem fors læua ruenti  
 Italiae, inuidit partum decus, omnis in illo  
 Spes pene extincta, et moriens secum omnia uertit.  
 Tu tamen interea tanto Gyberte dolori,  
 Tam iusto parce o gemitu, et mortalia tecum  
 Versa animo, cautusque uitæ te crede periclis,  
 Nec tibi tam uilis uitæ sit facta cupido.  
 Forsitan et si qua est benefactis gratia, et usquam  
 Præmia sunt laudi sua, reges aduena amicos